

V C
3792



3355.
1520



335.
52 Q. 35, 35

Vc
3792

EPISTOLA
VVENCESLAI
MEROSCHVVA
BOHEMI AD IOANNEM TRAVT:
NORIBERGENSEM, DE STATV
PRÆSENTIS BELLII, ET
VRBIVM IMPERIA-
LIVM,

EX CASTRIS BOHEMICIS
MISSA, A VVALONIBVS
INTERCEPTA.

Tu, Lector, lege, iudica, dole, consule,
succurre.



M. DCXX.



EPISTOLA
VV EN CESTLA

MEROSCHVA

BOHEMIA ADIACENTIA

NORIBERG

FRANSEN

VERVM

1544

EX CANTU BOMNICO

WISSA


FRANSEN

1. Buch

1544



M. D. C. X. X.



OBILISSIME, Amplissime Domine,
Cognate dilectissime, Compater utriusque
nostrum tuas mihi litteras, ipsis Maij Kalen-
dis, cum filiolæ tuæ munusculis reddidit.
De morte Nicolai valde doleo, quamuis
tantum æris alieni contraxerat, ut h. nescit
viuere non posset. Nostra domestica solito
commodius habent, efflagitationes importunas eludo, sumæ
paupertatis simulatione. Vereor autem ne eo res labantur, ut
hypocrisi veritas succedat, & nunc hæc *αεγς ποιησις* inopiæ præ-
ludium sit, ad obscœnam famem, quæ prima pericula vito. Sed
hisce de rebus nostræ Iunones sibi mutuo scriptitant, ego ad
alteram literarum tuarum partem venio, qua de Republica a-
gitur, quæ pars reuera *γλυκύπικρος* fuit; lætitia enim me curaq;
affecit. De studiorum meorum & peregrinationis comitem,
tam acute prudenterque negotia Imperij perspicere iudicare-
que lætor. Res ipsa me angit, versatque animū celerem. Hinc
nescio quid suadeam, neque quid dissuadeam habeo, ita om-
nibus, quamlibet bonis calliditq; consilijs, vadique mala oc-
currunt, & improvidam sapientiam nostram arguant. Acce-
dit scœda nostrorum dissensio, semper magnatum cladum &
præliorum causa & prænuncia. Nolo tamen vel postulationi
tuæ vel amicitia deesse, daboque consilium ex veteri Germa-
norum fiducia formula quantum sciero poterog;: tu illud non
ex euentu & successu, sed ex amore in te meo æstimabis.

I.

Quæris igitur ex me, quid agendum sit Urbibus Imperij li-
beris, præsertim Noribergæ tuæ, ocello Germaniæ. Deinde

A 2

Vlmæ,

Vlmæ, Spiræ, VVormatiæ? quid inquam agendum, si Fridericum Ferdinandus proscribat? tripartitum verò statum earum Urbium constituis, vel enim cum Friderico, vel cum Ferdinando, vel cum neutro eas stare oportere definis. Quid verò in quoque genere mali bonive sit, tota Epistola expendit, & meam sententiam exquirat. Hoc autem ex litteris tuis collegi, multa vbiq; incommoda, pauca commoda recenseri, quia in hisce rebus bonorum est summa raritas, malorum *μυρωτάραγο* in eo itaque industria nostra versari debet, vt mala amoliamur, aut minoribus maiora redimamus, pro anima Rex noster dimicet, de augendis opibus, delicijs, cogitare vos non conuenit. Hisce igitur de rebus agens altiùs reperam & Geometrica *αὐτῶν* λυσει omnia explicatissimè proponam.

II.

Tripartita illa tua diuisio, de scholis sumpta est, & à Magistris antiqui candoris, nunc quemadmodum noui Mathematici per tubos suos nouas in firmamento stellas, nouas in sole maculas repererunt; Ita quoque Politicismus nouus sua habet specularia optice nque, in qua alia membra diuisionis abdita priscis relucet. Hæ igitur quæstiones oriuntur:

1. *An Noribergam oporteat stare palàm cum Friderico?*

2. *An cum Ferdinando?*

3. *An cum Neutro?*

4. *An simulare amicitiam Ferdinandi palàm, occultè iuuare Fridericum?*

5. *An simulare amicitiam Friderici, iuuare Ferdinandum?*

6. *An simulare neutralitatem, & clam iuuare, vel Fridericum vel Ferdinandum?*

7. *An in ea simulatione etiàm utrique parti sit pecunia conferenda?*

HÆc sunt quæ Politicum decent perpendere, non modò quid agendum, vel omittendum sit, sed etiàm quid simulandum. Totus mundus furco utitur, cum vulpibus vulpinandum est.

est. Pueri nucibus, viri iuramentis fallendi sunt. Nec infame est violasse iusiurandi Religionem. Fecerunt hoc nostri Principes; Nos cariores habebunt, si non modò pro eis patiamur, & belligeremus sed etiã peieremus. Dum crepundia vendunt institores vestri, simulant, mentiantur, pro asse peierant, & nos id non faciemus pro regnis & arcibus? faciemus & quidem libenter.

III.

Principalis est quæstio. Ferdinandus an Fridericus defendendus? Circa hoc ζήτημα versatur tuum πολιτεύμα. Sed antequam respondeo, alia mihi quæstio tractanda est, ex qua ista dependet, an Ferdinandum penes, an Fridericum sit futura victoria? Vincere enim, ni fallor, volumus, & ad felicem inclinare partem; Si Deus aliquis nobis decreti cœlestis arcanum panderet, nulla superesset aut tenuis deliberatio. Victoriæ nãq; litaremus. Nunc cum successus in incerto sit, nusquam enim minùs quàm in bello euentus respondet consilijs & apparatus, leui coniectura de victoria suspicari potius, quàm loqui datum est. Sol, ventus, puluis, vox vna, error parvus, maximorum exercituum fata commutant; omnes magnæ victoriæ cladesque ex minimis occasionibus ortæ sũt, quo maiore odio sunt digni, tum nostri, tum vestri, qui ambitu, auaritia, spe, similitate, omnia mouerunt, vt Turrianus, Camerarius, vestri Senatores, Syndicique, qui torquibus, annulis, scyphis aureis, nummisq; acceptis, pulcherrimas Prouincias in tãta pericula deduxerũt, & nunc præcipitatis consilijs communia mala vertunt in priuata commoda; inter quos non nemo nuper multarum Dominus eadẽ bellum sperare se dixit, vt domos suas aduenis carius locare posset. Verũm ad rem quod attinet, puto ego victoriam penes Ferdinandum fore, puto inquam, scire enim nequeo. Causas habeo nec paucas nec contemnendas.

IV.

Prima est, quia Ferdinandi causa videtur iustior. Solet autẽ

A 3

diuina

diuina iustitia iniquitatem interdū tardè, interdum celeriter,
 semper seuerè punire. Nos quidem Apologias defensionemq;
 edimus, sed neque alij nos iustam habere causam credunt, ne-
 que ipsimet in consistorio nostræ conscientiaë culpam excusa-
 mus. Turca, rex Franciaë, elector Saxonie, alijque, imo socer
 Regis nostri, causam nostram damnant, licet eorum nonnulli
 rebellionem faueant. Viros nobiles, magistratus, contra iusiuran-
 dum, inauditos, de fenestra præcipitauimus, ne precandi qui-
 dem spatio, ne dum defendendi dato. Matthiæ, Ferdinando
 pacem, veniam, priuilegia offerentibus, compositionem defe-
 rentibus ad iudices, ne respondere, quidem uoluimus. Britā-
 nos, Batauos, Austrios, Silesios, Transyluanos, Principes Ger-
 manos, Vrbes, Hungaros, Turcam, ipsos inferos in Ferdinan-
 dum concitauimus, Viennam obsedimus, totam Germaniam
 quantū in nobis fuit Turcæ prodidimus Tartarisq;. Hæc iusta
 facta si quis defendat, nil ille iniustum putare potest. Si Deo res
 humanæ cordi sunt, facta illa vindicabit, aut per Ferdinandi
 militem aut per Turcicum. Impunitum tandem non sinet ne-
 fas, quod nos etiam augemus, pessimæ causæ non uerecunda
 defensione; odiumque contrahimus, quasi totius mundi irriso-
 res. Itaque magis ingenuè Gabriel fateri solet de iniustitia, Reg-
 num se, non iustitiam quæsiisse; & Anhaltinus, paupertati suæ
 se bellum necessarium iudicasse; eo res suas meliusculas esse
 posse. Id quoque Chiliarchi & Centuriones nostri iactitant.
 Quia tamen uiuacis conscientiaë accusantem stimulum sup-
 primere non omnes possunt; Delinimentum sophon phar-
 macon ministri nostri inuenerunt, scelera illa nefasque studio
 Religionis esse ἀγιασμένα sanctificata. Hoc illi de nidulis suis
 solliciti crepitant, non tamen sibi credunt. Sub Austrio fuit
 decies liberior Religio, nunc rigidus Calvinismus septies de-
 terior Papismo atroce nos superstitione premit, huic imminet
 Mahometismus & Circumcisio cum dura seruitute. Quocirca
 pruden-

prudenter Saxoniae Princeps, eiusque confederati, & plerique Imperij Ciuitates religionem suam tutiorem sub Caesare, quam sub Caluinianis Turcaque arbitrantur, Caesarisque defensionem meditantur, idque Scripturae conuenientius, dant enim Caesari, quod Caesaris est, & Deo quod est Dei. Nos Caesari eripimus, quod est Caesaris, & Dei quod est, Turcis obtulimus. Quocirca Deum Consiliatorem sperare haud possumus, & sane, videmus poenam iam grassari, perierunt plerique authores praecipitatoresque, Mansfeldij miles iam saepe lanienae obiectus est, Turrianus Regem offendit, vastantur agri, tumultuantur agrestes, quidam Proceres his malis laginantur, Consiliarij sua praemia in Germaniam Belgiumque remittunt, & in publica paupertate ditescunt, Rex & Regina fugam adornant.

V.

Signum etiam periturae Reipublicae est consiliorum corruptio *αβεβρον* est omnis *κακοβουλία* instabilis est semper mala consultatio in hunc Labyrinthum adolescentem Principem coniecerunt pessimorum adulationes, ex mutatione compendia quaerentium, auxit malum vanissima temeritas, principio quidem suauiter cum festinatione dissimulationem, interim haec errata commissa sunt, quorum nunc exitus sentimus, primum est *δυσβουλία*, hoc est, inexplicabilis consiliorum difficultas, quae ex eo oritur, quod Bohemi, Palatini, Urbiumque Proceres, sibi suspecti sunt. Nam Urbium legati largius omnia promiserunt, portione collatae pecuniae aspersi. Alij tamen possessiones in Batiaria alij apud alios habent, nonnulli Moguntinum, alij VVirceburgensem timent offendere, hinc nemo liberè sententiam dicit, sed eam, quam sibi vtilem imaginatur. Alterum peccatum est & maximum, quod Imperatorem Ferdinandum fieri passi sumus, imò fecimus. Tota Bohemia cum prudentibus reclamabat. Eares animos aduersarijs auxit. Fridericus eum Regem Bohemiae salutauit. Imperatorem elegit, fidem illi dedit, in-

dit, iurando affirmavit, eoque modo omnem non modo excusationem sed prætextum etiam perdidit, cumque ita agendum esset, ut omni arte, fraude, precibus, minis, periurijs comitia impedirentur, neglectum est, & nostra in dubium posita salus, ita efferor, crucemque opto pravis consultoribus, qui facile disturbare comitia potuerunt, nec fecerunt tamen. Eram Francofurdi missus speculator, et si ansa daretur etiam actor, ciues erga Papistas malè animati, conuitijs & contumelijs vix abstinebant, nec ciuibus Principes, nec illis hi credebant. Ferdinandus vix ingredi ausus est, præsidium Friderico fauebat, homines gnauis ad calumnias seditionesque se offerebant, ad famam seditionis, aut aduentantis exercitus, è Batauia, Principes discessissent, iam non esset rex in Germania, & vnusquisque quod sibi bonum videretur ageret; in tanta aduersariorum trepidatione Imperatorem nobis fecimus, hoc est: victi sumus. Terruit quidem nos Moguntini senilis audacia, quando peruicacissima constantia Imperij constitutiones vrsit, nec vitæ metu cedere iure suo voluit, & Ferdinandum intrare Francofurtum penè coegit. Terruit Coloniensis callida fortitudo, dexteritasque qua nos circumuenit. Sed obuiam eundem erat concitato tumultu urbano, ciuibusque metus aduenientis Hispani incutiendus. His tamen malis remedium adhiberi potuit, si moderationem æquitatemque simulare postea voluissemus, si iudiciū Electorum experiri; verum lacrymantibus politicis, iuniorum sententia nos deinde Noribergæ perdidit.

Cum enim nulla facta grauaminum mentione, omnia officia cum verbis sericis offerenda mecum prudentes suaderent; cum ad æquos iudices causam remittendam, pro nobis ferre debuissimus, cum omnem belli suspicionem amouere, clam tamen parare arma, quibus imparatos opprimeremus. Nos ad interitum vrgentibus fatis, vltro minas intentauimus; & tanquam bello captis cōditiones legesque tulimus. Nihil vnquam minus politicū,

politicum; nihil stultius actum. Minæ perdidit vindictæ locum. Minati sumus paribus, prudentibus, animosis, & quod tum dixi, ad defensionem illos exacuimus. Fecerunt hoc thracones, canes regij, qui papistas tanquã aues sonitu minarum terrire volebant. Multi iterabant illos solo terrore bellum confecturos.

Nunc viderunt vires in vêtum effusas, & temeritatis pudet. Nunc probant lenia consilia, nunc compositionem quærunt, postquam ad centum millia in nos armata vident. At verò nunc timidè consultamus. Ulma, & Noriberga timent Bauarum, Vormatia & Spira, Hispanum, Palatiniani pretiosa in tuta vebunt, Franckenthalenses fissidima Palatini manus, in Batauiam thesauros auerunt. Causa, cur in irritum cadant, est, leuissimè consultauimus, Fundamentum & fulcrum consiliorum nostrorũ, est simulatio & credulitas, omnia vno impetu facturos nos putabamus, fragilem hostem contempsimus, leues vires parauimus, & ecce insolidum imegimus, timidum cum existimauimus, ideò minis deicere conabamur; sed audacior insurrexit. Vno verbo ad prædam, non ad bellum nos instraximus. Cum igitur in re periculosissima stultissimè deliberauerimus, victoriam sperare nequimus.

VI.

Eodem ex fonte fiducia, belli neruus, contra consilium Mauritiij, quasi cataclysmo oppressus, clanguit. Quia namque terrore & subito nobis victoriam spondimus, pecuniam non confecimus, sine impensa prædam sperantes. Nam impendia nobis deesse planè videmus, si vera audire lubet, & si deest qui dicat, ego ipse id præstitero. Regis nostri, Principumq; flagitiosa est egestas. Urbium peculia, tot impensis paria esse non possunt. Auro opus est bellaturo, auro parent arma, aurum magis attrahit ferrum quam Magnes. At nobis omnia defunt. Bohemi vastatione, oppignoratione, luxu, rem & fidem prodegerunt.

B

Silesia

Silesia à Cosaccis, Moravia ab iisdem Tampirioq; omnes Pro-
 uinciæ ab amicoque & hostili exercitu, à Procerum rapinis, à
 regia aula, exhauriuntur, suo ergo sumptu bellum gerere non
 possunt, alieno ergo ærario vtendum. Turca aurum non mit-
 tèt, nec apparatus, sed Gryphes & Harpagones, auri piscatores,
 raptores violentissimos. Gabriel vltro petit & Haidones, super-
 est ergo Rex noster; Verùm & ille emungere nouit, in Bohemia
 accipit, in Palatinatu à pupillis rapit, supellectilem & Zonas ex-
 cutit, in Batauia & mari Adriatico fœneratoribus supplicat, in
 Britannia cùm pudore fœceri mendicat, inter hæc tamen con-
 uiuatur & saltat, laudatque columbaria. Principum cæterorum
 æraria fœnore oppressa sunt, rationes inire horrent, pecuniam
 illis pauci, nemo sine gemitu concedit, impensæ superant re-
 ditus, ἀναλώντα, superat τὰς πόδας. Viuūt vt Crafsi, & Cræsi mo-
 riuntur vt Iri. Quot millibus opus est multis, vt nihil habeant?
 Veneti parcè donāt, memores suos saccos non habere radices,
 Bataui verò recordantur nuper se in singulos annos quatuor
 milliones supra censum exposuisse, vt probarunt Barneultio
 procuratores; deinde vbi bellum ingruerit, omnia auxilia sibi
 necessaria nörunt, semper manus habent in A Etolis in perito-
 rio. Britannia, nec habet, nec confert thesauros, quod nuper
 negotiatoribus extortum est, plus obest, fugat enim negotiatio-
 nes, quod mendicimonio publico elicit ñ est, plus infamiæ quã
 utilitatis habet. Tanta est egestas initio belli, nondum pleno
 agmine concurrimus, quid post Thrasymenum & Cannas spe-
 randum est? Aduersarijs nostris omnia supersunt rem habent,
 fidem habent, Indiam habent, si diutius quid contingat, deci-
 mas beneficiorum, si clades, vnus anni prouentus expendent.
 Si grauior metus incumbat ornamenta templorũ oppignora-
 bunt, ipsos Clericos in aciem educent, si velint duplo maiorem
 militem scribere poterunt. Adhuc templa exstruunt, adhuc
 ornamenta pretiosa adaugent, Hæc cum prædicerem, adde-
 remq; nisi impetu primo hoc bellũ profligamus, victi sumus, tũ

quidē potentes offendi, nūc veri, sed infelicis consiliarij nomen
fero, summa est, in hanc expeditionem trium mensium cibaria
sumpsimus si bellum prolōgetur, fame moriendum erit. Doleo
hæc aduersarijs constare, nonne contemni nos videmus, edicta
Ferdinādi contra Fridericū Spira, V Vormatia, affigi permisit,
itemq; Landauia, Albacronberga, aliaque Vrbeculæ Friderico
obnoxia. hoc facerent, si æstiuum, non hybernum modo Regē
crederent? Cum igitur sine pecunia bellū continuare nequea-
mus, pecunia autem confici à nobis non possit, pacē optemus.
VII. Consilia bona deesse dixi, & nūmos, nunc addo etiam dif-
ficilem fore victoriam si hæc superessent. Ea est enim sociorum
συμμαχῶν conditio, vt in diuersos fines omnes tēdant, aliorū cō-
moda, non nisi ex cōmilitonū damnis esse possunt. Hinc quam-
vis utilitatis specie, & cōmuni metu, vti caudis Samsonicæ vul-
pes, colligentur, stramineū tamen vinculum est, quod ad odorē
ignis conflagrat. Docent ex historia politici, nulla foedera esse
diuturna, quæ nō omnibus prosūt nulla, inter instituta cōtraria.
Nunc nostrā *συμμαχίαν* circūspice: In ea potentissimus est mag-
nus Turca, omnes ille nos ex æquo habet ex olos, dilatare impe-
riū suum optat, nulli parcat sanguini, ne fraterno quidē, vt impe-
ret, Finem ille sibi propositū habet, non religionē Bohemorū,
non libertatem Noribergæ tueri, sed fraude, vi, occasione, om-
nes sub iugum suum mittere, hac spe si excidat, vbi nocuerit
quantum potuit, nos deseret. Finis Gabriels est placere Turcæ,
& cauere ne à Baisis accusetur, omnia sibi subijcere, & facere
Bohemos Morauosque tributarios, Fridericus merum in Bo-
hemos Imperium regnum Angliæ nixum debili hærede, co-
ronam Imperialem, & monarchias somniat. Hoc nec Gabriel,
nec Turca permittet. Nec nos Bohemi, nec vos Germani vel-
le potestis, nisi libertatē prodigere animus est. Principes Ger-
maniæ opes Ecclesiarum, pecuniam vrbium quærunt; negant
enim æquum esse se obnoxios esse *τοῖς πιπεροσακκῆς*, nolunt
tamen Fridericum plus posse, quàm ipsi omnes. Ciuitates optāt
Pragam esse liberam, & vbiq; Aristocratiam, Batavi vires su-
as augere cupiunt, potentiores esse quàm sunt ipsi. De Nori-

IO
EPISTOLA BOHEMICA
berga tua vide; vos eam opibus Venetijs esse parem cupitis; vrbes, pagos emere, in suam ditionem vicina vertere: Palatinus eam cupit esse Heidelbergæ similem, Gabriel Claudio poli suæ, Turcæ Strigonio, Hollandi sibi incorporatam, vt est Iuliacum, Embrica. Contraria igitur eum vobis profint, atque obsint, non potest esse diuturna societas; quæ omnia Leoni tribuet, ni infortunium experiri malit. VIII.

Ad hanc partem etiam pertinet exercitus ex diuersis gentibus in castris Germani, Angli, Belgæ, Haidones, Turcæ. Hi postremi nulli Christiano parebunt. Dux igitur Turcorum Turca qui soli Imperatori suo dicto audiens erit, quod ceperit non dimittet.

IX.

Ad victoriam quoque magnum momētum habet, quæ Fredericianis intentatur, proscriptio. Chartam esse dices, sed ferrum ista papyrus habet; est enim omnium animis impressa magistratus ex Dei ordinatione veneratio. Itaque plus virium habet quàm arbitraris, sed quæ ex ea nascatur videamus. Recuperatores dati sunt Archidux, Saxo, Bauarus: negotium vregunt & publicum & suum, cum his belligerandum erit, & præter bella non deerunt alia incommoda. Prædæ dantur proscripti, omni iure priuantur, itaque etiam priuati, Comites, Barones, Nobiles, Rustici ex agro vestro, quæ poterint diripient. Quod enim in alijs est furtum aut latrocinium, contra vos dicent iustum esse bellū, igitur latere in insidijs, capere, rapere, vrere, occidere Noribergensem ciuem, non modo impunè, sed etiam gloriosum erit. Idem experientur VVormatia, Spira, nullus locus illis tutus erit, à quibus non est tutus Magistratus. Nec defendi poteritis, occulti atq; improuisi vbique aderunt: Occlusis itineribus infestisque vijs, merces vestras distrahere non potestis, nec comēatum inferre, ex quo fames, telum acre, & moræ impatiens, seditionis architecta. Atque hæc maximè
Nori-

Noribergensibus timenda sunt, Ciuitatis tuæ statum cuius non ignoras, sterile solum exercet, artificum ingenijs industriaque rem decusque tuetur. Hæc omnia auferent non modo bellum, sed belli metus & proscription; sublata euectionis, inuectionis securitate, omnia emporia desinunt. At verò non modo illa tollet proscription, sed alias etiam Vrbes infestas reddet, Francofurti nundinæ vobis intute erunt, res Noribergenses confiscabuntur, & si forte in vrbe tuti sitis, obseruabunt tamen exitum, & ingressum illi, qui vobis spoliandis & occidendis sciunt se officium præstare Cæsari, multi putabunt & Deo. Ne queri ius erit, quis enim mirabitur in vos multos armari qui tela in Dominum vestrum geritis, qui illi interitum machinamini, cuius defensionem vitæ opesque vos impensuros iurastis, nemo pro vobis in tribunali sententiam dicet, omni causa cadetis, qui iudicem vestrum oppugnatis. Aes alienum quis vobis reddet, si eos adiuuetis, qui Cæsari regna eripiunt? Si statis in parte, in qua caput est, hostis hæreditarius Christianitatis, qui vos nunquam nisi canes appellat? Hinc igitur commercia vestra, sine bello peribunt, concidentque negotiatores, alio migrabunt, vt nunc ad rumorem proscriptionis faciunt in Palatinatu, sublata negotiatione, artificum collegia fame contabescunt, solitudo in Vrbe erit, mœnia defendi non poterunt, nec tamen in vltionem insurgent ciues vestri, quia sordidarum minutarumque artium artifices, pusillo abiectoque sunt animo, & quo densiores venient eò facilius secabuntur, vt de Pœno & Romanis dixit Barbarus. Vrbs penè vniuersa vestra, non necessarijs ad vitam humanam rebus occupatur plurimorum labor in ludicris exercetur; Noribergensium enim merces ad ornatum & delicias faciunt, quæ bello excutiantur. Non curat pupas horridus miles, nec minute artis res μικροτέχνια centurio varicosus, crepundia inter tonitrua tormenti fulminantis non audientur, nec in puluerulento agmine locum habet fucus, vbi cataphraetus solidum virum obterit.

B

3

obterit.

obterit. Vestrarum igitur mercium nullus usus erit. Ipso igitur in limine vestra ciuitas opprimetur.

X.

Cum igitur Noriberga Argentoratum aliæq; Vrbes vastiora habeant corpora, quàm vt in suo agro sat pabuli metere possint, tota Germania illis ager est, quò clauso contabescant oportet. Quæ ex tabe rabies vertetur in auctores. Cum enim ciues non nuli metu suis senatoribus, cum Iudæis fœneratoribus, alijsq; eos grauantibus pareant quantã occasionẽ nanciscentur exturbandi vel rtucidandi senatus, nec opus erit tribunoplebis, in perduelles, jus erit etiam bonis. V Vormatiensis Vrbs queritur à suo se senatu opprimi, Iudæos esse meliore conditione quàm ciues, quid eos facturos putas si intelligant paucos callidos effecisse, vt tota ciuitas proscriberetur, priuilegijs, fortunis vitaq; priuaretur? Scilicet vt Fridericum ambiat diadema peregrinum, vt corpora vilia, Vrbes sternantur solo. An si ille Catilina pendet Scopulo minaci, ideo pauci fauore pecuniaq; corruptæ vrbes integras ruinæ cadentis adiungent? Crede mihi potius nouum Senatum eligent, Cæsarique se addicent, quàm vt cum liberis & coniugibus interire velint: Vnus in clamans, viuat Ferdinandus Vrbes ad suum Dominum conuertet. Non igitur hinc sperandum subsidium firmum est. Decepti enim sunt, putabant namque paucis nummis in Bohemiam missis, sese opes Ecclesiarum tracturos, non timebant periculum. Nunc alia mens est, ad se redeunt.

XI.

In fraudem illam ciuitates induxerunt Principum callidi Consiliarij vt persuaderent de earũ agi libertate, hoc vero summæ ipsis curæ fuit, vt offensionem inter Vrbes & Papistas Principes concitarent. Meministis in demolitione molitionis Eidenhemianæ summa dissimulatione, & in audito hactenus astu, actum esse, interim odium totius rei in Vrbes Spirenses aliasq; deriu-

deriuarunt; atque hoc egerunt, ut magnanimus, & maturæ prudentiæ Princeps non tam Palatinum, quam Vrbes habeat suspectas, si tamen fraudibus credit. Non enim quid ille sentiat refero, sed quid Palatinus persuadere voluerit. Quum autem periculofum sit vicinum Principem prudentia dexteritate opibus Clientelis, authoritate, & sociorum potentia florentem offendere illam deriuandam censerunt.

XII.

Nihil verò est, quod magis spem nostram incidat, quam res nostræ mutuis dissensionibus agitata. Bohemi Friderico infensæ sunt, & quamuis nondum in apertum eruperit ignis, intus tamen æstuat. Causæ alienatorum animorum multiplices, ingenti spe animos in altum tulerant, Britannicos thesauros, militesque septentrione duratos expectabant, Satrapias, feudaque & noua Imperia in Austria, Stira, Tirolisibi desponderant, ut spes illa decollauit, animos quos temerè extulerant, remisere. Postquam igitur pro thesauris soceri, stipem dari, eleemosenamque viderunt, & mendicum Regem ex Bataua malignè adiuuari, cum à se exigere continuo pecunias, cum militem ex Vngaria rapinis, stupris cædibus grassatam emere & in viscera admittere cogantur, vix à conuiuijs abstinent. Accedit quod indies augeatur vastitas, neque enim externo militi excludendo, interno alendo, regio luxui fauendo, pares esse possunt. subditos alios meditari defectionem, alios exhaustos esse sentiunt. Deseruntur etiam à Silesijs quibus spatium duorum mensium plus damni Polonocofacci intulerunt, quam toto Austriacorum Imperio passi sunt: Hungaros quidem Cofaccis opponunt, sed Hungaro Turcas, qui scilicet pro Silesiorum Religione & libertate pugnabunt, cum ipsi serui sint Turcæ & religione nulla spe sola prædatum ducantur utrosque igitur Silesij alent, eos Cofacci deglubent, Haidones euiscerabunt, Turcæ exollabunt. Stent igitur in acie Polonocofacci, Hungari Turcæ, pro qua parte vota

faciet

faciet Agricola? an malet esse sub Turca, an Austriacis, vel Polono? Præda victoris erimus, sola prudentia superest, qua Dominum mitiorem eligamus.

Odiorum quoque in Palatinum causæ aliæ sunt. Nam quem admodum exquisitissima simulatione erga Principes germanos usus est, eosque tefellit, eadem quoque arte erga Proceres & vrbes sensim vitur, sic Turrianum lactavit, sic Mansfeldium eludit, nec cuiquam respondet, nisi ex eorum artificiosa ambibologia, qui docuerunt eum obscurum, tectum, veteratorem, mendacem esse. Cum itaque fidem non obliget, nisi fides, cum videant eum nulli Bohemo fidere, ipsi quoque illud seruant *μὲν ἡσοῦσιν ἄπιστον*, memento diffidere. Itaque iam eum oderunt, perijisse cupiunt, filium eius regnare, & illius ætate ad suam rem stabiliendam vti. Odiæ hæc exasperantur peculiari quadam morositate Friderici, nam sibi omnino dissimilis est, interdum ad ineptias & irrisiones usque popularis est & comis, interdum difficilis, omnia verba captat, suspiciosus est, liberè loquentium inimicus, & alta mente, siquid offensum recondens, solis illis, quos timet & odit blandus, hæc sagacissimè cum odorentur Bohemi, præsertim belli duces, haudquaquam diu vitia regno inimica ferre poterunt. Quanto verò contemptu labore, vos meliùs nostis. In his periculis regionum quid aliud, quàm pompam agit. Risi cum viderem nouella Francofurtensia, quæ tamè affirmat noster Reinerus, à quodam Doctore politico, duobusque patricijs reuideri, & ad vtilitatem nostræ causæ formari, risi inquam, cum legerem gesta Regis nostri. Quid enim hic gessit, nisi quod Iconoclastiam inchoauit, pleno se poculo cereuisiæ pro statuum sanitate proluit, & cum matronis nostris saltitavit? an his defendimur, an hæc historiæ sunt aliena regna occupantis? Ex his collige paruum esse de victoria nostra spem, ingentem belli metum, Ligæ nostræ dissolutionem, quæ iam incepit, instare. Ideoque vobis causam non esse cur perituris adhæreatis.

13. Atque

XIII.

Atque hoc meum est consilium, eo fundamento nixum, quod victoriam Ferdinandi fore existimem. Quod si tu, alijque, fœdera, Symmachias, apparatus, auxilia Ottomannica spectantes fortunam vobis, victoriamque spondetis, non tamen continuo adhærere Friderico suaserim. Bellum diuturnum futurum puto, neque enim tam citò Ferdinandus cum socijs omnibus exui regionibus poterit. Vno impetu Bohemiam, finitimaque occupauimus, & eam vobis porro fortunam spondemus, sed è contrario videmus tam diu restitisse vnum Buduicium, & clades nobis rependisse. Anceps est belli alea, & populus victor aliquando calamitosior victo. At sanè vincat Fridericus; interea tamen dum Mars *ἀμείβομεν* (alternans) sæuit, capi & vastari potest Noriberga: Notum est illud Cæsaris.

Quamuis Hesperium mundi properemus in axem,

Massaliam delere vacat.

Bello secundo Punico fuit victor Romanus, sed tamen deleta Saguntus, sanguinem dedit Capua, his captum Tarentum. Dum belli fortuna nutat, misera erit vestra conditio. Qui victoriam pariunt, in ipso ferè nisu animam ponunt, fieri igitur poterit, vt & vos victima Marti cadatis. Dicite enim, quid ageritis, si Noribergam veniat Dux Saxonæ, Cæsari vos dicto audientes esse iubeat, religionem Lutheranam vobis sartam tectam fore Lutheranus ipse promittat, contra Calvinianos se tutaturum omnes polliceatur. Quem ciuium tam amentem credis, vt malit de vita, opibus periclitari, idque pro Calvinistis, & Turcis, quàm pulchram religionis, & politiæ libertatem tueri? Hoc si quis Ulmensibus, Spirensibus, VVermatiensibus ciuibus spondeat, facile paucos Veteratores, qui pecuniâ corrupti patriam produnt, excutient. Si igitur Cæsari vos adiungatis, vos nemo infestabit, si aliud videbitur, non liberabit vos Fridericus noster, Consultum igitur est, vt vestra auxilia, opesq;

C

Ligæ



Ligæ subtrahatis, vt sponte concidat. Si vestris opibus bellum accendatis, eo vos primi conflagrabit, & de vestro corio, vt equi solent, frenum vobis parabit, filijsque & posteris vestris.

XIV.

De primis duabus quæstionibus dixi satis, nunc illis respondendum est, qui neutram partem offendere, neutram sequiturissimum arbitrantur. Hoc ego perniciosissimum consilium esse arbitror: Semper enim fieri solet, vt spectator finitimi belli, sit præda victoris. Qui inter duellatores medius venit, utroque latere foditur. Vtramque enim partem offendit, qui neutram subleuauit: cum vtraque multas se rationes habere existimet, cur auxilia sibi mitti oportuerit, ideoque tanquam iniuriam passa ad ultionem exardescat, præsertim si vtraque bellantium parte attrita occasionem prorogandi imperij quæsisse videantur. Vos si neutram partem adiuuetis, deteriore conditione eritis, duas præcipuè ob causas: Quia victor multò vobis erit potentior, vt possit se vlcisci, & vos subiugare. Deinde grauissimè offensus id facere lubebit, quod potest. Cæsar merito offendetur, quia illi Sacramentum fidelitatis dixistis. Si deseritis Dominum vestrum, atque in periculo destituitis, perduelles lege Imperiali iudicabit. Cum Frederico fœdus iniuristis, nisi auxilia tuleritis, pro transfugis habebit, & exemplo Tulli tractis in diuersa quadrigis, faciet ex vobis Metios Suffetios. Concludo hanc partem: Neutralitatem periculosam esse: Frederici partes pessimè constitutas, Cæsarem adiuuandum esse.

XV.

Venio nunc ad aliorum consilia, de agendo simulandoque. Sunt multi, qui populo callidi, sibi callidissimi, mihi pueriliter arguti videntur: quorum hoc est consilium, vt amicitiam cum Cæsare simulata, Fredericus adiuuetur. Nam hoc esse hactenus à multis factum, & præsertim in Gabriele felicissimum successum habuisse. Consilium hoc multas ob causas damno:
quarum

quarum præcipuè tres proponam. Prima est, quia simulatio illa regi non potest, ideo nec simulatio est, nisi puerilis, & seis dolos non esse dolos, nisi astu tractentur, inter multos & dissentientes esse non potest silentium, & plerique constare malunt, quatin parte sint. Deinde in pecunia numeranda, Legaris excipiendis, milite mittendo tam multa sunt, quæ vos prodent, ut latere non possitis. Moliri itaque *τὰ ἀδύνατα* (impossibilia) non oportet. Altera causa est, quia maius odium Ferdinandi incurretis: Ut enim plus nocet fictus amicus, quam apertus hostis, ita quoque maiore est odio. Ideo hosti saepe parcimus, proditores diuidimus: Milites aduersos menstruo stipendio redimi patimur, transfugas cum cruciatu necamus. Committere ergo non debetis, ut si Ferdinandus vincat, non modo hostium loco sitis, sed etiam veluti proditores, & malefici tractemini. Quin & apud vestros erit vestra inhonorata societas, & quos adiuuatis, plus iniuriæ, quam auxilij à vobis accepisse se iudicabunt. Deserendo enim partem, quam probastis, in quam iurastis, cui opes animosque contulistis, eam damnare videbimini illis qui verè vos abcessisse credent.

Hinc aliorum cadent animi, & fient ex vestra simulatione vera aliorum transfugia. Cur enim vos post simulationis caretæ latebitis, cur post principia fixis hastis sedebitis, alij in prima acie, medio in discrimine animas ponent? Damnum hoc non modo maius æstimabit, sed etiam sentiet Fredericus, quam sit auxilium, quod occultè suggereris. Irascetur itaque, & animo iniuriarum retinentissimo, inuolutissimoque recondet. Vos quicquid dabitis, perdetis. Tertia causa est damnum, quod ærario inferetis. Nam vterque Princeps, & quem amatis, & quem amare simulatis, non verbis modò, sed re ipsa adiutandus est. Nam erratis, si amicitia fide sine pecunia vos astruere posse existimatis. Itaque nunc rationes putare. Si amicitia cum Ferdinando simulanda, in singulos menses 20000. contri-

buatis,

buatis, non potestis nescire nullam apud Fredericum gratiam habituros, si tantundem illi detis, æquatum enim se, non prælatum hosti dicet. Tantum enim obest illi pecunia data Ferdinando, quantum prodest, quam ipse accipit. Pensanda igitur illa iniuria maiore numero. Quod si Frederico 40000. donetis, pluris tamen æstimabit damnum, quod ex simulatione vestra patitur, bella enim famâ constant, & nunc belligeratur mendacio, & impostura. Itaque etiam si Ferdinando 20000. Frederico 100000. detis, non tamen, tantis damnis vestris efficietis, ut non infestissime uterque oderit, ulturusque sit. Nec facta vestra, nec simulatio Gabrielis exemplo probari debet. Gabriel vnus erat, secretum apud ipsum tutius erat, deinde in apparando simulatio fuit, non in ipso bello, & vos quicquid hætenus simulastis, tamen latere non potuistis,

XVI.

Si ad Ferdinandum transire lubeat, non improbo ad tempus simulare cum Frederico amicitiam; ne subito desertus esse videatur, & ut alias vrbes exemplo trahatis. Iuuabit hoc eum exiguo tempore, quia partes minus infirmabuntur. Neutralitatem simulare non expedit, ob eas causas, quas ante exposui. Gratus erit aduentus vester Ferdinando; & honesta occasio: Timor proscriptionis, & ex eo seditionis ciuicæ, præcipue verè quòd cum Saxone religionis vestræ patrono, contra Cæsaris hostes pugnare pium sit & gloriosum.

XVII.

Quicquid agatis aut simuletis, ei quem habere amicum vultis, danda est pecunia, arma, comineatus. Nemo enim in periculo se absque pecunia iuuari posse credit. Imò non modo donanda, sed & fœnori & mutuo danda, hæc enim petentur omnia. Militi transitus concedendus, aliaque facienda, ut se iuuari sentiat, cuius in amicitia esse cupitis. Scio grauem esse exactionem ciuibus, sed præstat grauari patriam, quam amittere, ut dicebat Barneuelcius. Ad

XVIII.

Ad me quod attinet, res iam Venetias detuli, ob credita hæreo in castris & Pragæ, amicus noster Adalbertus, multiq; alij aliò migrare incipiunt, tibi idem suadeo. Nam siue vincimur, siue vincimus, ciuitatum conditio post bellum est futura deterior. Si vincimur, dubitare non possumus, quin magnis calamitatibus inuoluendi simus. Si auxilio Turcæ vincimus, à nobis initium seruitutis erit. Si sine illius exercitu vincimus, si non crudelis, sanè auara victoria futura est, nullo nostro commodo: quia victores sunt egentissimi. Tecum enim perpende vincere Fredericum, omnia illi cedere: Anspacensem, Wittenbergensem, Durlacensem, Anhaltinum, tot Comites, Barones, in primis fratrem & filios Frederici, deinde domum Brandeburgicam & Palatinianam ære alieno soboleque grauata, omnes illos auarissimos, auidissimos, aridissimos, callidissimos: adde his Gabrielem & Vngarorum, Transyluanorum, Turcarum immanes cupiditatum charybdes. Adde Bohemos, Morauos, Silesios, Lusatios proceres, luxu, bello, ære alieno peditos: adde Belgas consiliorum directores, Palatinos magna spe lactatos, Anglos denique & Scotos longa fame siccos, & prædæ inhiantes. Deinde Turrianum, Mansfeldium, Hollachium, iam ducatus, & regna spirantes. Inter hos omnes flagitantes, minantes, adulantes, quid puerò regi animi esse poterit? Danda sunt omnia illis, per quos vicit, danda armatis, eum ipse tamen omnia retinere malit. An vllus vestrum iam stultus est, vt Noribergæ putet aliquam portionem ex Bambergensi, vel Herbipolensi, alijsq; Episcopatibus, ex Præposituris, Abbatijs quicquam dandum arbitretur. Non erit ista diuisio, quam barbatuli vestri Senatores inter pocula, & amores meditantur. Nihil dabitur Piperofaccis, quos tam timide pecuniam expendere iam dudum queruntur. Vnus Scultetus, vnus Camerarius plus poterit, quam tota Noriberga, nec per-

mittent illi, vt Ubiquitarijs nouæ regiones subdantur. Nihil igitur emolumentum ex eo vobis bello nascetur.

Libertatis periculum vnâ omnes adibimus, quod iam tot annos Austriaci conseruauerunt, vna dies auferet. Nam vt Fredericus cum fratre, filijs, canibusque suis omnia occuparit, cum volet, vobis dominabitur. Pedem extra urbem ponere non licebit, nisi ad eorum arbitrium. Eodem loco erit VVormatia, cui Senatum dabit Fredericus, fortius vtens iure Episcopi. Spira ne suspirare quidem audebit. Quin & ciues nostri, Syndici, Secretarij, Senatores, se illis dabunt. Aliorum as alienum, nonnullorum æmulatio, quorundam religio ad principes libertatem ciuitatum transferet. Senatus & tribunalia omnia Frederizabunt. Quid facturi sint ex illis quæ faciunt, feceruntque disces. Frederici maiores, atq; ille ipse, nonne VVormatiæ sanguinem haurire conditis in vicinia urbibus conatur? Nonne hunc in finem Franckenthalium vocatis è Belgio calidissimis Mercurialium extruxerunt? Manheimium muniunt, Sanlambertum augent, vt exhauriant VVormatiam, & ne quicquam desit mali, Neuhausianâ illam Schola premunt. Vide Hanouiam infeliciter illam quidem, sed tamen in æmulationem Francofurti excitatam. Hæc cum nondum victores, vestra pecunia egentes, vestram amicitiam præstantes faciant. Quid Victores & Dominos facturos speremus? Vel enim Noriberga Ambergam, Ulma Tubingam, Argentoratum Heidelbergam, Spira Franckenthalium, VVormatia Manheimium migrabunt, vel vrbes ipsæ cum opibus in eorum ditio- nem venient. Hactenus principes illi omnium opibus, & libertati insidiantur, vrbes ab Austriacis Imperatoribus defenduntur: quid futurum est, si absit defensor, inualelescat inuasor? Nisi credimus eos, qui cum periculo fortunarum suarum, qui cum pacto Turcicæ seruitutis incertam aleam de regno Bohemiæ iecerunt, vestras opes magnas, parati faciles, vrbes, quas

NORIBERGAM TRANSMISSA.

22

quas sine puluere & sanguine obtinere possunt, non accepturos. Hæc mea est sententia de bello, quod fugio & fugiendum censeo, tanta est nostrorum importunitas, tantæ minæ, tanta cum barbaris gentibus societas, tantum etiam mutuum odium, ut omnia mala inde manatura, nihil boni euenturum conijciam. Vale. Venetijs proximas expectabis.

E castris idibus Maij. Anno

1620.

Tuus Frater Venceslaus.



*AUGUSTAE VINDELICORVM,
recusa apud Saram Mangiam Viduam.*

M. DCXX.


MC

Nihil
A
v tot
Fre-
parit,
non
atia,
Spi-
dici,
um,
es li-
mnia
cece-
Vor-
ature
dical-
uni-
& ne
t: Vi-
nula-
ores,
ciant.
No-
Hei-
eimi-
ditio-
& li-
efen-
inua-
arum,
regno
vrbes,
quas

NORBERGAM TRANSMISSA.
pur sine pulvere & sanguine obistere possunt non accer-
tos. Hec omnia est aequum de bello, quod fuge & iudicium
conter, tunc est de illorum impotentia, tunc tunc, tunc
cum barbaris gentibus societas, tunc tunc tunc tunc tunc
tunc, ut omnia mala inde mansura nihil duntaxat
consciam. Vale. Veniens proximas expectabis.
E. caeteris idibus Maij. Anno

1620.

Tuus Exater Venerabilis.



AVGVSTAE FIDELICORVM

scripsit apud Saurum in Regium Vindobon.

M. DCXX.

1620

1620



Handwritten text from the adjacent page, including words like "pup", "H", "e", "m", "u", "s", "q", "u", "a", "s".

ULB Halle 3
004 800 788





2
Vlmæ, Spira
cum Ferdina
Vrbium con
do, vel cum
quoque gen
am sententi
multa vbiq
hisce rebus l
in eo itaque
aut minorib
mieat, de au
Hisce igitur
λύσει omnia

Triparti
tris antiqui
per tubos su
las reperer
cularia opti
fcis relucen

1. An Nov
2. An cum
3. An cu
4. An sim
dericu
5. An sim
6. An s
vel Fe
7. An in e

HÆc sun
quid age
dum. Totu

dum, si Frideri-
statum earum
cum Ferdinan-
Quid verò in
pendit, & me-
tis tuis collegi,
censeri, quia in
μυρωζαργαρο
ala amoliamur,
Rex noster di-
non conuenit.
eometrica εἰν εἰ-

est, & à Magi-
ni Mathematici
as in sole macu-
s sua habet spe-
onis abdita pri-

rico?
occultè iuuare Fri-
andum?
vel Fridericum

nia conferenda?
ere, non modò
quid simulan-
as vulpinandum
est.

